Concordia inter Catholicum Regem Philippum Tertium, & statū Ecclesiasticum Regnorum Castellæ, & Legionis super prorrogatione subsidij annui quadringentorum, & viginti millium ducatorum inita, & Apostolica auctoritate de nouo confirmata.

Clemens Papa Octauus,

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Pro nostro munere in his partes nostras libenter interponimus, quæ ad cōcordiam, & pacem inter Catholicos Reges, & Ecclesiasticas personas, super exactionibus, Apostolica auctoritate faciendis, pertinere dignoscuntur. Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster Philippus Tertius Hispaniarum Rex Catholicus, ac dilecti filij, singula Toletanæ, Hispalensis, Compostellanæ, Grannatensis, Burgensis, Legionensis, Ouetensis, Palentinæ, Cordubensis, Abulensis, Ciuitatensis, Salmantinæ, Conchensis, Segobiensis, Oxomensis, Placentinæ, Pacensis, Cauriensis, Giennensis, Pampilonensis, Calagurritanæ, Calciatensis, Gadicēsis, Tudensis, Zamorensis, Malacitanæ, Auriensis, Astoricensis, Cartaginensis, Lucensis, Canariensis, Guadicensis, & Seguntinæ Ecclesiarum Capitula nobis exponi fecerunt, quôd prædicta Capitula quæ vniuersum Clerum Regnorum Castellæ, & Legionis repræsentant, cupientes, gratiā, siue prorrogationem subsidij annui quadringentorum, & viginti millium ducatorum charissimo in Christo filio nostro Philippo Tertio Hispaniarum Regi Catholico super fructibus, & redditibus Ecclesiasticis Regnorum Hispaniarum, aliàs â nonnullis Romanis Pōtificibus prædecessoribus nostris de quinquennio in quinquennium claræ memoriæ Philippo secundo Hispaniarum Regi Catholico eiusdem Philippi Regis genitori concessam, & prorrogatam, & nouissimê iterum à no

bis per nostras in forma breuis literas sub datis videlicet Romæ sub annulo piscatoris, die vigesimo septimo Iunij anni millesimi sexcentesimi Pontificatus nostri anno nono pro dicto Philippo Tertio, ad aliud quinquennium extensam, & prorrogatam, prout in dictis literis plenius continetur, vt par est adimplere pro illius faciliori, & commodiori executione, & adimplemento ad infrascriptam concordiam per eorum procuratores ad hoc specialiter deputatos in simul deuenerunt, videlicet in primis, quòd ex quantitate, & summa duorum millionum, & centum millium ducatorum, ad quam ascendit concessio præsentis subsidij, fiat solutio hoc modo, ducenta, & decem millia ducati sub finem Nouembris anni millesimi sexcentesimi tertij, nec nō quadringenta, & viginti millia ducati anno millesimo sexcentesimo quarto illorum videlicet medietas sub finem Iunij, & altera medietas sub finem Nouembris eiusdem anni, reliquis verò annis millesimo sexcentesimo quinto, & millesimo, sexcentesimo sexto, ac millesimo sexcentesimo septimo pro quolibet anno quadringenti, & viginti mille ducati quolibet anno prædictis sub finem Iunij, & Nouembris cuiuslibet anni, & reliqui ducenti, & decem mille ducati remanentes pro complemento dictorum duorum millionum, & centum mille ducatorum sub finem mensis Iunij anni venturi millesimi sexcentesimi octaui persoluantur. Item, quôd ad effectum præmissorum, ac repartitionis, & exactionis præsentis subsidij dari, & concedi deberent per Commissarium generalem, & iudicem Apostolicum executorem, & Collectorem generalem huius subsidij commissiones, prouisiones, & subdelegationes generales iudicum Commissariorum personis per capitula prædicta nominandis, cum omnibus scripturis, requisitis necessarijs, & conuenientibus, ac exactionem, & collectionem dicti subsidij prout fieri solet. Item dictus Rex mandaret dari cedulas, & prouisiones solitas tam ad effectum, vt iustitia sæcularis det fauorem, & auxilium ad exactionem, & receptionem dicti subsidij, quoties ab ipso petitum foret pro parte capitulorū, & subcollectorum, quàm pro negotijs tangentibus dictum subsidium, ne per vim trahantur ad Audientias, & Cancellarias Regias. Item, quòd diuisio, & repartitio, quæ à quolibet

capitulo,

capitulo, & Ecclesia facta fuerit super huiusmodi subsidio exequi, & ad debitum effectum deduci debeat, ita vt dicto Regi satis fieri, & solutio compleri possit absque aliqua dilatione, non obstante quacumq; contradictione, vel appellatione, & quòd non possint dari prouisiones à Commissario ad impediendam dictam repartitionem, ac eius solutionem, & executionem, nec imponi censuræ, aut pœnæ, quæ impediant, aut suspendant dictam executionem, donec talis causa in Consilio Cruciatæ visa fuerit, & in illa fuerit pronunciata sententia diffinitiua in visione, & reuisione, & sic obseruari debeat in dicto Consilio, & si detur prouisio in contrarium, non obediatur, & non compleatur, nec propterea aliquo modo cesset repartitio, executio, & solutio dicti subsidij. Item, quod id, quod iustè tangit, & repartitum fuerit ex dicto subsidio pro mensis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus horum Regnorum Coronæ Castellæ, & Legionis illarum sede vacante durante termino dictorum quinque annorum, & huiusmodi solutionis, idem Rex, & pro eo dictus Commissarius generalis capiant, ac capere, & recipere debeant in solutione quidquid illas tanget dictis sedibus vacantibus. Item, quo ad expensas faciendas in diuisionibus, & exactionibus, ac receptionibus dicti subsidij modo, & locis, in quibus fieri debent, & quoad Ecclesias, & qualitates bonorum, & professiones personarum, quæ soluere, & contribuere debẽt in pręsenti subsidio seruetur, & seruari debeat forma, & ordo obseruati in quinquennio pręterito, & illius confirmatione, cõcessionis subsidij triremium, & quòd repartitio fiat conformis, & iuxta concordiam inter statum Ecclesiasticum initã, factam à Congregatione de super facta in oppido de Madrid anno millesimo, quingentesimo, sexagesimo quinto. Item, attento quod idem Rex concessit gratiam statui Ecclesiastico impetrandi à nobis breue ad effectum, vt milites militiarum, & ordinum sancti Iacobi de Spata, Calatraua, & Alcantara in huiusmodi subsidio contribuere teneantur, dictus Rex concederet mandata, & ordinationes necessarias ad effectũ exigendi ratam illos tangentem, & si aliquæ personę, seu persona, collegia, ordines, vel militię prædictę, aut quęcumque aliæ personæ, vel persona, aut bona illorum, qui solent contri

 buere,

buere,& soluere dicta subsidia præterita pretenderint vigore alicuius breuis, aut alicuius specialis concessionis nostræ se eximere â dicta solutione præsentis subsidij, dictus Rex ordinet, & prohibeat, ne vtantur similibus breuibus, aut sibi accumulet ratam tales personas tangentem. Item, quòd solutio, & repartitio imponatur super pensiones, non obstante quacumque clausula exemptionis prærrogatiuarum, donationis, concordiç, & obligationis etiam in forma Cameræ in fauorem pensionariorum, seu aliàs concessis, etiamsi tales cõcessiones, exemptiones, donationes, obligationes, & concordiæ fuerint concessç, & factæ post datam huius quinquennij, & præsentis concordiæ, etiam si in illis fiat mentio prçsentis concordiæ. Item, quòd debeat obtineri à nobis breue confirmatorium præsentis concordiæ, & contentorum in ea ad effectum, vt dictum subsidium oneretur, & imponatur super fructibus dictorum annorum, in quibus sic fieri, & persolui debeat, ac aliàs, prout in publico desuper à dilecto filio Ioanne de la Rumbide scriba Regio, & publico Notario sub die vigesima nona Nouembris millesimi sexcentesimi tertij confecto instrumento pleniùs continetur. Cùm autem tam Philippus Rex, quâm capitula, & status Ecclesiasticus Regnorũ Castellæ, & Legionis huiusmodi cupiant, huiusmodi concordiam pro illius maiori validitate Apostolicæ confirmationis robore communiri, propterea nobis humiliter supplicari fecerunt, vt in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui honestis Regis, & capitulorum prædictorum votis libenter annuimus, eaquè fauoribus prosequimur opportunis, eumdem Philippum Regem, & singulares personas Capitulorum huiusmodi à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, nec non concordiæ, & instrumenti prædictorum veriores tenores prçsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi, & inde secuta quæcumque Apostolica auctoritate, tenore præsentium

appro-

approbamus,& confirmamus,illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis Apoſtolicæ robur adijcimus, ſupplentes omnes,& ſingulos,tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem,eaque, actam quoad capitula,quę in dicta concordia interuenerunt, & illi conſenſerunt, quàm quoad alia capitula, quæ nullo modo prædictæ concordiæ inter fuerunt,nec illi conſenſerunt,etiam ſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales fuerint,eccleſias, & alia beneficia poſſidentes,nec non fructus dicta concordia expreſſos exigentes, valida, & efficacia eſſe, ac per eos omnes inuiolabiliter obſeruari debere, ipſoſque ad illarum omnium obſeruationem,& ſolutionem omnibus vijs,ac iuris, & facti remedijs cogi,& compelli poſse,& debere,abſoluentes etiam,ſi opus fuerit tam ipſum Philippum Regem,quàm quoſcumq; eius miniſtros,nec non quaſcũq; eccleſiaſticas,tam ſæculares,quã regulares perſonas à quibuſuis cenſuris, & pœnis,ſi quas pro pter præmiſſa quomodolibet incurrerint, etiam ſi in irregularitatem inciderint,ac Miſſas, & alia diuina officia interim, non tamen incõtemptum Clauium celebrauerint,ſuper qua irregularitate,ſic per eos forſan quomodolibet incurſa, harum ſerie diſpenſamus,nec propterea fructus Eccleſiarum,& beneficiorum obtentorum ſuos non feciſſe dici, aut cenſeri poſſe declaramus, ac ab eis omnem inhabilitatis maculam, ſiue notam,ſi quam propter præmiſſa quomodolibet incurrerint, abolemus,eoſque in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum, in omnibus, & per omnia reſtituimus,reponimus,& plenariè reintegramus, ac reſtitutos,repoſitos,& plenariè reintegratos per pręſentes nunciamus. Cæterum ad obuiandum litibus, & differentijs, quę inter perſonas Eccleſiaſticas ſuper præmiſsis oriri poſſent, harum ſerie decernimus, & declaramus, quòd ad huiuſmodi ſubſidij contributionem, iuxta concordię prædictę tenorem non ſolum Capellani capellaniarum perpetuarum, ſed etiam capellani ad nutum à mouibiles,qui capellanias ipſis ad nutum concedi ſolitas,quę redditus, aut bona ſtabilia certa,& determinata poſsident,habuerint,pro rata reddituũ earumdem capellaniarum omnino teneantur, & obligati exiſtant ęquè,ac alij capellani titulares ſupradicti, ſicquè per

quoſ-

quoscumque iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, etiam sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales vbique iudicari, & diffiniri debere, & quicquid secus super his à quo quam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus: & nihilominus dilectis filijs nostro, & Apostolicæ sedis apud dictum Philippum Regem, nunc & pro tempore existenti Nuntio, & Commissario generali Cruciatæ in Regnis prædictis per præsentes cõmittimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios pręsentes literas, & in eis cõtenta quęcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Philippi Regis, & singularum prædictarum personarum fuerint requisiti ad executionem eorum omnium, quæ in dicta concordia continentur, procedant, & per eos, ad quos expectat, eadem obseruari curent, & faciant, nec non eisdem Nuntio, & Commissario generali iniungimus, quôd vbi, & quoties super in dicta concordia contentis aliquas differentias exortas fuisse compererint, illas absque retardatione solutionis iudicio eorum æquabili componant, determinent compositione iustitiam partibus ministrãdo. Nos enim tam præmissa peragendi, quàm quicquid super præmissis statuerint, omni, & quacumq; appellatione remota, executioni debitæ demandandi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia, ac demũ per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita compescendi, legitimisq; super his habendis seruatis seruandis processibus, sententias, censuras, & pœnas, ipsas etiam iteratis vicibus aggrauandi, auxiliumq; brachij sæcularis inuocandi plenam, & liberam facultatem concedimus. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papę Octaui prędecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & cõsuetudinibus, nec non legibus etiam municipalibus priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarũ

deroga-

derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusq;, & alijs decretis in genere, vel in specie etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore per mãsuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque, nec non omnibus illis, quæ in dicta concessione subsidij huiusmodi expressum est, non obstare, seu si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cæterum eosdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardenales, tantùm quibus pẽsiones annuæ super fructibus Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliorum Ecclesiasticorum beneficiorum, seu ipsi fructus, vel eorum pars loco pensionis reseruati reperiuntur à præmissa contributione, quoad ipsas pensiones, & reseruationes fructuum volumus esse exemptos, quodquè præsentim transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ indignitate Ecclesiastica constitæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datis Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Februarij millesimi sexcentesimiquarti, Pontificatus nostri anno decimotertio. *M.V. Barbianus.*